

dictum Predecessorem nostrum decreta Juri consona, & publicum bonum concernere ea omnia ex certa scientia auctoritate Apostolica tenore presentium confirmamus, & ipsa de novo decernimus, & volumus tam in Vicariatus, quam in Concessionibus hujusmodi jam factis & faciendis imposterum inviolabiliter observari per inde ac si in ipsis specialiter, & per expressum appositum essent Constitutionibus Apostolicis seu legibus imperialibus, & aliis contrariis non obstantibus quibuscumque.

Ea statuit, que in rubrica retulimus.

Clausula.


Dat. die 1. Febr. 1406. An. II.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre confirmationis, constitutionis, & voluntatis infringere &c. Datum Viterbii Kal. Februarii Pontificatus nostri anno Secundo.

GREGORIUS XII.

PAPA CCV.

ANNO DOM. MCCCXVI.



Die 2. Decembris anni 1406. Cardinales, qui Romæ erant in Pontificem elegerunt Angelum Corarium, natione Venetum, Patriarcham Constantinopolitanum, & S. R. E. Presbyterum Cardinalem Tituli S. Marci, qui Gregorii XII. nomine sumpto coronatus est die 19. mensis ejusdem. Ab ele-

ctionis Gregorii die usque ad liberam cessionem ab eodem in Concilio Constantiensi facta fluxerunt anni VIII. Menses VII. ad electionem vero Alexandri V. An. II. Menses VI. dies XXIV. Obiit tandem Recineti (Concilii Constantiensis Patres eum Cardinalem Episcopum Portuensem esse voluerunt) Anno 1417. & tumulatus est in Templo majore.

I.

Facultas Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis Camerarii avocandi ad se causas quascumque Cameram Apostolicam quomodolibet tangentes.

Ex Registi. Vatic.

Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei. Venerabili Fratri Antonio Episcopo Bononiensi, Camerario nostro, & ejus in Officio successoribus, Salutem, et Apostolicam Benedictionem.

Apostolicæ Cameræ, per quam S. R. Ecclesiæ necessitatibus incumbentes oneribus multipliciter subvenitur, sic tenemur indemnitate subvenire, intendere commodis, & dispendiis obviare, quod ipsius jura debite possint repeti, ejusque Officialibus suppetat opportunitas prosequendi.

Exordium.

§. 1. Sane, quia sæpe contingit, sicut accepimus, quod extra præfatam Cameram super rebus, & juribus ad eam pertinentibus, ac super omnibus negotiis ipsam tangentibus litigatur, & sæpe coram Judicibus de juribus ipsius Cameræ nullam vel modicam habentibus notionem, quique per Fiscalem Advocatum, seu Procuratorem, aut alios ex Officialibus ejusdem Cameræ, qui circa ipsam habeant insistere, non possint commode super iis informari: propter quod Causæ nimium prolongantur, & quandoque pereunt jura nostra.

Ex cognitione causarum extra Cameram damnis eidem obvenientibus.

§. 2. Nos super iis providere volentes, ac gerentes de vobis fiduciam in Domino specialem, quibus principaliter est ejusdem Cameræ cura commissa, Prædecessorum nostrorum vestigiis inhaerentes, cognoscendi auctoritate Apostolica per vos, vel alium, seu alios de omnibus, & singulis questionibus, controversiis, Causis, & Litibus præsentibus, & futuris, spiritualibus, & temporalibus, ecclesiasticis, & Civilibus, ac Criminalibus, nedum ad ipsam Cameram pertinentibus, sicut est hæcenus consuetum, sed etiam de quibuscumque Jura, & negotia ipsius Cameræ directe, vel indirecte quoquo modo tangentibus, seu etiam, quæ secundum vestrum liberum arbitrium viderentur ea posse tangere quomodolibet in futurum, ipsa-

Cameratio est cognoscendi facultatem dat.

ipsaque cum emergentibus, & ab eis dependentibus, ac connexis, & eos, quos tangere poterunt, tam personas Ecclesiasticas, quam seculares, necnon Capitula, Collegia, & Conventus Ecclesiarum, & Monasteriorum, ac Ordinum exemptorum, & non exemptorum, Communitatesque ac universitates locorum, prout, & quoties vobis videbitur, ad vos, & eandem Cameram advocandi, & citandi per literas, vel nuncium intra vel extra Curiam, & ad partes: etiam si Causæ ipsæ de natura sui non sint apud Sedem Apostolicam per appellationem, aut alias legitime devolutæ, nec in ea tractandæ seu etiam finiendæ, & etiam si coram Judicibus Ordinariis, Auditoribus, Inquisitoribus, Legatis, Subdelegatis, Commissariis, Executoribus, Arbitris, Arbitratoribus, Compromissariis, seu aliis quibuscumque etiam per Sedem Apostolicam deputatis seu deputandis in præfata Romana Curia, vel extra, ubilibet penderent, seu pendere nunc vel imposterum dicerentur: & si in ipsis ad Litis contestationem processum fuerit, vel ulterius quantumcumque, & etiam super iis ad Nos seu Sedem eandem per viam appellationis, seu simplicis querelæ, vel alias habitus sit vel imposterum haberetur recursus, dictas Causas resumendi, & resumendi faciendi in statu, in quo fuerunt, sicut juxta vestrum arbitrium videritis expedire: easque per Vos, seu alium, vel alios audiendi, & examinandi summarie, simpliciter, de plano sine strepitu, & figura Judicii, & sine debito terminandi, & alias Justitiam omnimodam exhibendi.

Alis Judicibus ne in iis alio modo se immisceant interdici.

§. 3. Judicibus quoque Ordinariis, Auditoribus, & aliis supradictis inhibendi, ne de Causis ipsis post advocationem hujusmodi cognoscere, vel se intrinsece quoquo modo præsumant, & quaslibet alias inhibitiones ac etiam revocationes in ipsis causis cum interpositione Decreti & sententiarum excommunicationis, suspensionis, & interdicti per eos promulgatarum, relaxationes, & absolutiones, necnon ordinationes, declarationes, Mandata, Decreta, Monitiones, executiones, & Processus quoslibet faciendi, & sententias proferendi, & omnia alia, & singula exercendi, quæ circa præmissa, vel ea tangentia juxta vestrum liberum arbitrium videbuntur opportuna: contraditores quoslibet, & rebelles cujuscumque status, Dignitatis, ordinis, vel conditionis existant, etiam si Regali, Pontificali, vel majori, aut alia quavis fulgeant Dignitate, eadem auctoritate per Censuram Ecclesiasticam compefcendo.

Obstantibus quibuscumque derogat.

§. 4. Non obstantibus generalis Concilii, & aliis Constitutionibus a Prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus in contrarium editis, necnon consuetudinibus, statutis, ordinationibus, seu inhibitionibus quibuscumque juramentorum, aut excommunicationum suspensionum, vel interdicti sententiarum per quoscumque promulgatarum vel promulgandarum munimine, aut quibusvis aliis firmitatibus roboratis, seu si aliquibus com-

muniter, vel divisim a Sede Apostolica sit indultum, vel imposterum indulgeri contingat, quod extra, vel ultra certa loca ad Judicium trahi aut quod interdicti suspendi vel excommunicari non possint per Literas Apostolicas non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem, & quibuslibet aliis Privilegiis exemptionibus immunitatibus gratis, & literis generalibus, vel specialibus Ecclesiis Monasteriis, Locis, Collegiis, Ordinibus ac universitatibus seu Personis Ecclesiasticis, seu secularibus quibuscumque, cujuscumque fuerint præminentia, vel dignitatis, & Apostolica Sede concessis, vel imposterum concedendis, sub quacumque forma, vel expressione verborum, per quæ præsentibus non expressa, vel totaliter non inserta effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri, etiam si talia sunt, de quibus & ipsarum personarum, & locorum ordinum, & statutorum propriis nominibus specialis, ac de totis ipsarum tenoribus plena, & expressa, ac de verbo ad verbum, mentio sit habenda, quæ omnia haberi volumus pro hic expressis specialiter, & insertis, & ipsa, vel eorum aliqua contra præmissa nolumus in aliquo suffragari plenam, & liberam tenore presentium ex certa scientia concedimus facultatem.

Camerarium ipsum ad equitatem extorcat.

§. 5. Ad hoc vestri potestatem Officii ampliatis, & etiam prorogantes Vos attentius exhortantes, ut sic in præmissis vos fideles exhibeatis, & etiam studiosis omnibus Justitiam ministrando quod tam eidem Cameræ, quam aliis quibuscumque, sua jura serventur vestra circumspectio inde possit merito commendari.

Dat. die 15. Junii 1407. An. I.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum. decimo octavo Kalendas Julii, Pontificatus nostri Anno Primo.

II.

Institutio Canonicorum & Clericorum secularium in Ecclesia Sancti Gregorii in Alga Venetiarum, Castellaniensis diocesis.

Gregorius Episcopus Servus Servorum Dei. Ad perpetuam Rei Memoriam.

Proemium.

Illis, quæ pro divini cultus augmento auctoritate Apostolica processerunt, ut illibata persistant, libenter cum a nobis petitur, Apostolica confirmationis adicum firmitatem.

§. 1. Sane petitio dilectorum filiorum Ludovici Prioris & Capituli secularis, & Collegiæ Ecclesiæ S. Gregorii in Alga Castellaniensis diocesis, nobis exhibita continebat, quod olim venerabilis frater noster Angelus Episcopus Kifamensis auctoritate, quarumdam literarum fel. rec. Bonifacii Papæ Noni prædecessoris nostris, eandem Ecclesiam, quæ tunc Monasterium Ordinis S. Augustini erat, necnon per Priorem regi con-

confueverat, in Collegiatam crexerat, & in ea Priorem & Canonicos seculares Capitulum facientes, necnon quosdam alios etiam Clericos seculares in perpetuos Vicarios seu beneficiatos, in eadem Ecclesia instituit; & impugnatores huiusmodi erectionis, & aliorum quæ prædictus Episcopus in præmissis & circa ea ordinavit, excommunicationis vinculo innodavit, a qua nisi auctoritate prædicta munus absolutionis nequirent obtinere, etiam si tales impugnatores Episcopali, vel quacumque alia Ecclesiastica, vel seculari præfulgerent dignitate, necnon quædam alia circa hæc fecit, statuit, & ordinavit, prout in quodam publico instrumento inde confecto, prædicti Episcopi sigillo munito, cuius tenorem de verbo ad verbum præsentibus inseri fecimus, plenius continetur.

Habita a Bonifacio I. facultate Episcopus Kiffamen. hanc crexit collegiatam.

Capituli petio.

§. 2. Quare pro parte ipsorum Prioris & Capituli nobis fuit humiliter supplicatum, ut erectioni & institutioni prædictis & aliis in ipso instrumento contentis, robor Apostolicæ confirmationis adicere, de speciali gratia dignaremur.

Erectionem confirmat Gregorius, & Statuta Kiffamen. Episcopi.

§. 3. Nos itaque huiusmodi supplicationibus inclinati, erectionem & institutionem prædictas, necnon alia in ipso instrumento contenta, & quæcumque inde secuta, sub infrascripta modificatione rata habentes & grata, ea auctoritate Apostolica, ex certa scientia confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communitimus, suppletes omnes defectus, si qui intervenerint in eisdem. Nihilominus huiusmodi clausulam in eodem instrumento contentam, sive articulum excommunicationis ejusdem contra impugnatores ipsos, ut præmittitur late, auctoritate prædicta dumtaxat cassamus, ac volumus nullius existere firmitatis. Tenor vero prædicti instrumenti talis est.

Confecimus hac de re ab Episcopo Instrumentum.

§. 4. Angelus Dei, & Apostolica Sedis gratia Episcopus Kiffamenis, Sanctissimi in Christo Patris, & D. N. D. Bonifacii divina providentia PP. Noni ad infrascripta specialiter delegatus, universis, & singulis præsentibus nostras literas inspecturis, & quos infrascriptum tangit negocium, seu tangere poterit quomodolibet in futurum, salutem in Domino sempiternam.

§. 5. Cum deceat maxime in ecclesiasticis ministeriis docere, cujus auctoritate, quisque ministret, universitati vestræ, necnon & vestrum singulis tenore præsentium, intimamus, quod venerabilis & religiosus vir Dominus frater Ludovicus Prior loci Monasterii, & Ecclesie S. Georgii in Alga Ordinis S. Augustini de Venetiis, Castellanenensis Diocesis, die 22. mensis Septembris proxime decursi, nobis quasdam literas Apostolicas, cum earum vera Bulla plumbea, ad cordulam canapis, more Romanæ Curie, non vitiatas, non cancellatas, non abrasas, nec in aliqua sui parte suspectas, sed omni prorsus vitio, & suspitione carentes præsentavit (licet alias pro ejus parte nobis præsentari fecerit) petens humiliter, & devote, quatenus ipsas literas executioni mittere dignaremur, quod nobis per ipsas Apostolicas literas mandabatur; quarum

literarum tenor per omnia sequitur & est talis.

Bonifacii PP. Literæ commissoriales Episcopo Kiffamenensi de Monasterio S. Georgii visitando & reformatando.

§. 6. Bonifacius Episcopus Servus Servorum Dei, Venerabili Angelo Episcopo Kiffamenensi in loco de Venetiis Castellanenensis dioc. commoranti, salutem & Apostolicam benedictionem.

§. 7. Ad Ecclesiarum, & Monasteriorum omnium statum salubriter dirigendum, iusta pastoralis officii debitum intendentes, ad reformationem illorum, quæ deformata, sentimus, partes Apostolicæ sollicitudinis adhibemus. Sane petio pro parte dilecti filii Ludovici Prioris Monasterii S. Georgii in Alga per Priorem soliti gubernari, Ordinis S. Augustini Castellanenensis diocesis, nobis nuper exhibita continebat, quod Monasterium prædictum, in quo ab olim laudabiliter viguit observantia regularis, & ejus instituta regularia fuerunt per Sedem Apostolicam approbata, a longis retroactis temporibus extitit, prout existit huiusmodi regulari observantia destitutum, ac in spiritualibus, & divinis officiis ibidem peragendis multipliciter deformatum. Quare pro parte dicti Prioris, qui ut asserit ad reformationem ipsius Monasterii ferventer anhelat, nobis fuit humiliter supplicatum, ut in præmissis de opportuno remedio providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur huiusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati tuæ, de qua in his & aliis specialem in Domino fiduciam obtinemus, per Apostolica scripta committimus, & mandamus, quatenus ad Monasterium præfatum personaliter accedens, & habens præ oculis solum Deum, super præmissis, eorumque circumstantiis universis, auctoritate nostra te diligenter informes, & huiusmodi informatione per te sic recepta, ipsum Monasterium, & quicquid in eo correctionis, seu reformationis ministerio cognoveris indigere, tam in capite, quam in membris eadem auctoritate hac vice corrigas, & reformes, ac statuas, & instituas in perpetuum, vel ad certum tempus, augmentando, diminuendo, seu mutando præfati Monasterii statum, statuta, constitutiones, & alia etiam pro divinis officiis huiusmodi peragendis, rationabilia, & salubria in ipso Monasterio observanda ordines, & disponas, ac omnia alia, quæ Episcopus Castellanenensis existens pro tempore cum dilectis filiis Capitulo Castellanenensi circa præfatum Monasterium facere possit, seu quomodolibet exercere, facias, & exerceas, prout secundum Deum, pro utilitate dicti Monasterii, & personarum in illo degentium animarum salutem, tibi videbitur expedire. Ac nihilominus per te sic facienda, ordinanda, disponenda, instituenda, & statuenda, facias auctoritate prædicta inviolabiliter observari. Contradictores per censuram Ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Non obstantibus constitutionibus Apostolicis, nec non statutis, & consuetudinibus Monasterii, & Ordinis prædictorum, ac aliis contrariis quibuscumque, seu si aliquibus communiter vel divisim ab Apostolica sit Sede indultum quod

Quo pacto facta fuerit ab Episcopo Kiffamenensi visitatio.

Qua de causa Monasterium reformatum possit.

Illud in Collegiatam mutat.

quod interdicti, suspendi, vel excommunicari non possint, per literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Datum Romæ apud S. Petrum, Idus Martii, Pontificatus nostri Anno quintodecimo.

§. 8. Nos igitur cupientes omnibus Apostolicis semper parere mandatis, prædictas Apostolicas literas licet alias receperimus, iterum recepimus reverenter, & communito consilio sepe sepius cum dicto D. Priore, aliisque quam pluribus venerabilibus viris ecclesiasticis, morum gravitate & scientia, necnon & experientia decoratis, tractatis, & consiliis multis precedentibus, ac ipsius Domini Prioris, apud quem solum ad præsens totum jus Capituli, & Conventus dictorum Monasterii, & Ecclesie pertinere dignoscitur, accedente consensu, & devota precum instantia, solum Deum præ oculis habentes, pro perpetua reformatione dictorum Monasterii, & Ecclesie, ad dictum Monasterium personaliter accessimus, & informatione præhabita, & cum non invenerimus in dicto Monasterio, nisi D. Ludovicum Priorem, & fratrem Honorium de Venetiis, & fratrem Ludovicum de Florentia fratres conversos tacite professos, nullumque alium religiosum reperimus in dicto Monasterio; sed & ipsum invenerimus omni bona religione, & observantia regulari destitutum, nec spem aliquam haberemus reformationis ipsius Monasterii & religiosi in dicto Monasterio morari consueti cum in tam parvo numero reperiantur, ut propriis Monasterii, in quibus degant deservire minime valeant, nec etiam in ipsis Monasteriis vigeat observantia regularis, considerata difficultatibus, & mature ac diligenter examinatis, cum D. Priore, & aliis Venerabilibus viris, & peritis, difficillimum, & longissimum, ac quasi impossibile reputavimus, ad reperendum Fratres seu religiosos alterius Ordinis, & Religionis, per quos dictum Monasterium possit in bona & regulari observantia reformari.

§. 9. Quapropter scientes Venerabiles viros D. Martinum Quirinum, & socios ejus clericos seculares, qui ad præsens moram trahunt in prædicto Monasterio, magnarum virtutum & morum esse gravitate decoratos, ac in eisdem clericalem honestatem, adeo ententem, ut vitæ ipsorum odore status ecclesiasticus mirabiliter venustetur; & dictorum exemplo ad disciplinam ecclesiasticam, & mundi contemptum quamplurimum attrahantur: Sicque habilem exemplarem certum & clarum reformationis prædicti Monasterii modum de personis nobis plenissime cognitis, necnon & Clero & Populo Civitatis huius habentes vias incertas, & personas incognitas, ac ut supra diximus difficultates quamplurimas declinantes, de consilio plurium venerabilium, & approbatorum virorum, ac etiam de consensu antedicti D. Prioris, auctoritate Apostolica tenore præsentium, prædicti Monasterii, Capituli & Ecclesie statum antiquatum præsentia-

ter mutamus; transferentes in novum statum Collegiate Ecclesie secularis, Canonicorum seclularium, & Clericorum simul conventuum, convalescentium, commorantium, & Deum collaudantium, officiis nocturnis pariter & diurnis, ac ad hoc venerabiles viros videlicet DD. Antonium Corario, Gabriele Condolmerio, Stephanum Mauroceno, Franciscum Barbo de Venetiis, Mattheum de Strada de Pavia, Romanum de Roduillo de Mediolano, Lucamque Philippi de Este Sacerdotes, & Dominos Marinum Quirino, Michaellem Condolmerio, Laurentium Justiniano de Venetiis, Joannem de Pizzinardis, Simonem de Perficis de Cremona, Hieronymum de Massis de Pavia Diaconos, ac etiam DD. Augustinum de Gastaldis de Pavia, Angelum Serdonati de Culcitris, Marcum Condolmerio, Dominicum Mauroceno de Venetiis Subdiaconos, coram nobis evocatos, & flexis genibus constitutos, eadem auctoritate recepimus in Canonicos & Fratres dicte Ecclesie seu loci S. Georgii in Alga, & ipsos omnes & singulos instituimus, & præsentia investimus, cum omni plenitudine juris canonici per anulum nostrum.

Canonicos, Clericosque ibi instituit.

§. 10. Statuentes ipsos Canonicos, & ipsorum successores per eisdem canonice recipiendos, & instituendos, de cetero constituere Collegium, & Capitulum dicte Ecclesie sive loci, in quod Collegium omnia jura spiritualia, & temporalia, necnon & curam animarum, Prioratum, ac quæcumque aliam præbendam, & dignitatem tam in spiritualibus quam in temporalibus, circa res & personas spectantes Monasterio, Ecclesie, Capitulo & Conventui prælibatis, præsentia transferimus pleno jure.

Et de bonis Monasterii eisdem investit.

§. 11. Inducentes omnes & singulos Canonicos seculares prædictos in corporalem possessionem, vel quasi dictorum Canoniceatum seclularium, per pannum majoris altaris dicte Ecclesie S. Georgii, stallum in Choro, & loco in Capitulo sibi assignatis ipsorum propriis nominibus, & omnium aliorum præsentia absentium, reservato tamen semper præfato venerabili viro D. Ludovico Priori dumtaxat titulo ipsius Prioratus, itaut de cura seu regimine dictorum Canonicorum, & aliorum Clericorum conversorum, oblatorum, & aliorum cuuscumque conditionis laicorum in dicto loco morantium, se nullatenus valeat impedire, ac etiam pro suo honesto victu reservata sibi tertia parte omnium reddituum, fructuum, & proventuum dicte Ecclesie, sive loci, defalcatis, & deductis expensis faciendis pro recolligendis & conducendis fructibus Venetiis, & omnibus aliis expensis, quæ faciendæ erunt extra corpus dicte Ecclesie, sive loci. Expensas autem circa locum sive Ecclesiam opportunas fieri volumus sumptibus dictorum Canonicorum, qui præsentia sunt, sive pro tempore erunt, nulla detractioe, seu defalcatione faciendæ, de dicta tertia parte dicti D. Prioris, cui ipsa tertia pars integre assignetur pro mensa, victu, vestitu, & aliis necessariis & oport-

Priori anti-quo consule de redditibus annuis.

portunis, & pro libito dispensanda. Et ne alicui, quod abfit, dicta divisio sit suspensa, volumus quod per supradictum D. Ludovicum Priorem & Vicarium facularem, seu Rectorem cum Capitulo, constituantur unus vel duo syndici de prefato Capitulo, qui exigant, & recipiant omnes fructus, redditus & proventus dicti loci, & partes faciant, & dividant, dentque tertiam partem D. Ludovico Priori, & medietatem regalium, & alias duas designent Vicario, seu Rectori, & Capitulo dispensandas prout ipsius Collegii requirit necessitas. Volentes quod quicquid circa possessiones ipsius loci extra corpus dictae Ecclesiae, sive loci fuerit tractandum, modificandum, & innovandum, absque ipsius D. Ludovici Prioris consensu fieri nequeat.

§. 12. Cum autem dictus D. Ludovicus Prior suo assensu ad aliud beneficium fuerit translatus, sive religionem mutaverit, vel vita sanctus fuerit, ac etiam si ipsum Prioratum vacare contigerit per spontaneam renunciationem dicti D. Ludovici Prioris, vel alio quovis modo, ex nunc, prout ex tunc, Prioratum regularem annullamus, & infringimus, & auctoritate praedicta statuimus, nullum Priorem fore, & in Prioratus Canonico-regularium clericorum dignitatem transferimus & innovamus.

§. 13. Statuentes ut dicti Canonici vocem habentes in Capitulo prefato, unum de ipsorum Collegio Sacerdotem virum probatae prudentiae, & oculati regiminis, quousque D. Ludovicus Prior in dignitate permanerit Prioratus, sibi Vicarium, deinceps vero Priorem facularem, sive Rectorem, annis singulis eligant, vel confirmet, cuius Prioris facularis electioni vim tribuimus & confirmamus.

§. 14. Statuentes ut quilibet Vicarius, & Prior facularis sive Rector electus per majorem partem dicti Capituli, sive alia solemnitate dictos Canonicos faculares secundum Deum statim regere & gubernare incipiat, & per annum continuum curam gerat in spiritualibus & temporalibus, & tam de rebus quam de personis cum omni potestate & auctoritate ordinaria, quam habent Priores perpetui in locis regularibus sive secularibus.

§. 15. Completo vero anno talis Vicarius & Prior facularis, sive Rector, ipso jure sit solutus officio, & alius per Capitulum eligatur modo supradicto, nisi praeteritus de novo confirmetur.

§. 16. Institutionem autem, & destitutionem Canonico-regularium hujusmodi ad ipsum Vicarium, & Priorem facularem, sive Rectorem, & Capitulum volumus pertinere.

§. 17. Verum nullus in canonicum assumi valeat, nisi ad decimumoctavam aetatis suae pervenerit annum, & per annum continuum in eorum probatus fuerit congregatione, & a majori parte Capituli electus.

§. 18. Praebendas siquidem nolumus esse distinctas, sed volumus & districte praecipiendo mandamus, omnes redditus & proven-

tus esse communes, & per Vicarios, Priores seu Rectores faculares hujusmodi, qui per tempora erunt, taliter ordinentur, quod omnibus detur quod unicuique opus esse iudicabitur.

§. 19. In uno autem dormiant dormitorio, ac in uno comedant Refectorio, & sic continue sint praesentes & residentes, nisi fuerint licita & honesta causa absentati, & cum licentia Vicarii, Rectoris, sive Prioris facularis praedicti.

§. 20. Absentes vero extra locum, sine licentia Vicarii, seu Prioris vel Rectoris facularis, nisi poenituerint infra mensem satisfactione codigna, ad Vicarii, Prioris, seu Rectoris, & Capituli praedictorum arbitrium privari valeant Canonicatu & licentia.

§. 21. Vestes quoque eorum, secundum quod jus disposit deferant, nec nimia longitudinae, aut brevitate notentur, ut merito dici valeant temporalium contemptores.

§. 22. Numerum autem Canonico-regularium, seu certitatum esse nolumus.

§. 23. Si quis vero Canonico-regularium, quod abfit, propria bona habere voluerit, nisi post trinam admonitionem se correxerit, & ea libenter voluerit, ut decens est, esse communia ad arbitrium Vicarii Prioris, seu Rectoris, & Capituli praedictorum, Canonicatu privari valeat, & extra locum licentia.

§. 24. Porro officium divinum secundum ritum Romanae Curiae horis congruis collegialiter persolvatur.

§. 25. Ne vero cultus divinus impediat, pro ministerio mensarum, & aliorum operum manualium, volumus & auctoritate praedicta potestatem tradimus praedicto Vicario, Priori, sive Rectori faculari praedicto, ut ipse cum Capitulo suo possit recipere laicos Deo dicatos, sive conversos, & oblatos, nullatenus uxoratos, volentes vivere in communi sine proprio: quos gaudere volumus privilegiis conversorum, dummodo in decimo octavo sint anno constituti, qui recepti honeste, & decenter induantur. Conversi autem tacite professi existentes in loco supradicto, videlicet frater Honoratus, & frater Ludovicus si secundum Deum vivere volunt, de bonis ipsius loci, & Ecclesiae nutriantur, vivantque una cum D. Ludovico Priore secundum regulam suae professionis, in quantum eis erit possibile, & humana fragilitas vivere sinet. Qui quidem Prior deinceps in praedicto Monasterio ad suae professionis regulam quam assumere non valeat.

§. 26. Si vero inter praedictos Canonicos, aut conversos, sive laicos Deo dicatos, aut oblatos, fuerit aliquis perditionis, seu iniquitatis filius, & communitus, quod abfit, se emendare noluerit, ad arbitrium Vicarii, Prioris, seu Rectoris, & Capituli praedictorum, canonicatu privari possit, & de loco expelli.

§. 27. Constitutiones autem alias, sive statuta, ultra praedicta in quantum spectant, &

Dormitorio & Refectorio communi.

Panae absentium absque Prioris licentia.

De vestium forma.

Numero Canonico-regularium.

Proprietatiorum panis.

Officio divino.

Conversorum admissione.

Et delinquentium expulsiōne.

Mortuo eodem Prioratum regularem extingui vult, & in regularem verti.

De ipso seculari Prioris eligendo.

Prioris auctoritas quae sit.

Annuatim eligendus.

Ejus facultas Canonicos instituendi & destituendi.

Etas admittendorum in Canonicos.

De Praebendis non dividendis.

& spectare possint ad praedictam Ecclesiam, sive locum auctoritate praedicta, revocamus, annullamus, infringimus, & irritamus, & pro irritatis, revocatis, & annullatis haberi volumus, & mandamus.

§. 28. Praedictis vero Vicario, Priori faculari sive Rectori, cum suo Capitulo plenam dantes auctoritatem, ut possint novas sibi constitutiones, seu statuta condere, corrigere, addere, vel minuire, prout eis secundum Deum videbitur, quotiescumque voluerint, & quaecumque alia ordinandi, quae ipsis utilia visa fuerint, & opportuna, ad augmentum divini cultus, & clericalis honestatis, & pro observatione hujusmodi reformationis, institutionum, & statutorum. Quae omnia & singula approbamus, & volumus esse perpetua. Addentes, ut non obligent ad culpam aliquam mortalem, aut venialem, sed tantummodo per Vicarium, Priorem, seu Rectorem facularem praedictum, delinquentibus poenitentia imponatur.

§. 29. Et si quid in contrarium a quoquam fuerit attentatum quavis auctoritate, ex nunc prout ex tunc statuimus, & dicta auctoritate apostolica decernimus ipso facto irritum, & inane.

§. 30. Impugnatores autem hujusmodi excommunicationis vinculo innodantes, a quo nisi eadem auctoritate Apostolica munus absolutionis nequeant obtinere, etiam si tales impugnatores Episcopali, vel quacumque alia Ecclesiastica, vel seculari prefulgeant dignitate, reservata nobis usque, ad annum a data praesentium computandum addendi, minuendi, corrigendi, mutandi reformandi, in omnibus, & singulis praemissorum, prout nobis videbitur secundum Deum, nihilominus potestate. In quorum omnium testimonium praesentes fieri iussimus, nostrique Pontificatus sigilli munimine roborari. Datum, & actum Venetiarum in loco supradicti S. Georgii in Alga Castellanae diocesis, Anno Nativitatis Domini 1404. Indictione duodecima, die Jovis trigesimo mensis Octobris; praesentibus Venet. viro Domino Presbytero Joanne de Puteo Archidiacono, & Diacono Ecclesiae Nigropontensis, Petro Mauroceno filio quondam D. Marini Canonico Ecclesiae Thaurisinae, nob. viro D. Alberto Dente quondam D. Andreae de Parochia S. Juliani, D. Bartholomeo Faba filio quondam D. Donati de Parochia S. Vitalis, & aliis testibus ad praemissa vocatis specialiter, & rogatis, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris, & D. N. D. Innocentii divina providentia electi Papae Septimi, anno Primo.

§. 31. Ego Luchinus filius q. D. Marci Civis & habitator Venetiarum Apostolica & Imperiali auctoritate Notarius publicus praedictarum literarum Apostolicarum praesentationi, & ipsarum executioni, seu ipsius D. Executoris & Commissarii Apostolici dispositioni, modificationi mutationi Prioratus praedicti, & novae reformationis ipsius loci S. Georgii in Alga, & omnibus aliis & singulis supradictis una cum supradictis Bull. Rom. Tom. III. Pars II.

Priori data facultas nova condendi statuta.

Secus attentata nulla omnino, & irrita.

Impugnatores vero anathemate percussuri.

Testes instrumento praesentes.

Instrumenti hujus Legationis.

testibus praesens fui, & sic fieri vidi, & auctori, eaque rogatus de mandato praebati D. Commissarii, & Executoris Apostolici, scripsi, & in hanc publicam formam redegi, signoque meo, & nomine solitis me subscripsi in fidem & testimonium praemissorum omnium, & singulorum.

§. 32. Nulli ergo omnino hominum, &c. Si quis &c.

Datum Romae apud Sanctum Petrum quinto Kalend. Julii, Pontificatus nostri anno Primo.

III.

Institutio Congregationis Canonico-regularium S. Salvatoris, Ordinis S. Augustini, in Domo de Silvalacus Senen. Diocesis.

Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei. Ad futuram rei memoriam.

Excitat nostrae mentis arcanum specialis & affectuosa dilectio, qua domum Prioratus S. Salvatoris de Silvalacus ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentem Ordinis S. Augustini, Senensis Diocesis, sumus hactenus profecti, & paterno profecti studio non cessamus, ut circa statum ejus attentae considerationis intuitum dirigentes, opem impendentes & operam, ut illa ad Dei laudem, & gloriam non solum in suis bonis, & juribus conservetur, sed etiam prosperis jugiter gratuletur eventibus, & votivis favente Domino in ipiritualibus, & temporalibus successibus augetur.

§. 1. Hinc est quod nos motu proprio non ad dilectorum filiorum fratrum dictae domus, quae hactenus Ordinis Fratrum Eremitarum d. S. Augustini extitit, vel alius alterius, pro ipsis nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed de nostra mera liberalitate, ex certa scientia eadem domum in Prioratum Conventualem auctoritate Apostolica erigimus, per Priorem sub conditione & modo infra scriptis perpetuo gubernandam.

§. 2. Volentes & eadem auctoritate statuentes, quod ipsi Fratres actu in eadem domo residentes, eorumque successores, qui erunt pro tempore, Canonici regulares, & secundum regularia instituta hujusmodi Canonico-regularium deinceps vivere, & fratres S. Salvatoris nuncupari debeant, & quorum quilibet sub scapulari Rochetum, superius autem Cappam grisei coloris lane mordentis ad instar capparum Conversorum Carthusiensium Ordinis gestabit, qua quidem cappa ipsi fratres utantur, cum eos exire contigerit septa Prioratus, seu Domus hujusmodi ad populum sive turbam.

§. 3. Necnon Prioratum sive Domum hujusmodi cum eisdem fratribus, & conversis, & personis in ea degentibus praesentibus & posteris, cum omnibus membris, necnon bonis mobilibus, & immobilibus ipsius Domus

Clausula.

Dat. die 27. Junii 1407. An. 1.

Exordium.

Domus S. Salvatoris de Silvalacus in Prioratum Conventualem erecta.

Canonici hujusmodi praescripserunt vestes.

Hujusmodi vero Prioratus Sedes Apostolicae immediate subiectus.

mus sive Prioratus, ad domum sive Prioratum huiusmodi, tam ratione domus sive Prioratus, quam personarum huiusmodi quomodolibet pertinentibus, & devolutis, & devolvendis pro tempore ab omni superioritate, dominio & potestate Prioris generalis dicti Ordinis Fratrum Eremitarum, necnon Episcopi existentis pro tempore, ac dilectorum filiorum Capituli Senensis, ac quomodolibet aliorum Superiorum, secularium, & regularium, auctoritate, predicta prorsus eximimus, & totaliter liberamus. Ita quod Prior generalis, Episcopus, Capitulum, & alii Superiores predicti nullam possint in eos visitationem, correctionem, vel aliam jurisdictionem exercere, sed nobis, & Apostolicę Sedi immediate sint subiecti.

§. 4. Et insuper presentibus adiicimus, quod ipsi Canonici, seu fratres qui regularem vitam eorundem Canoniorum regularium pro tempore professi fuerint, & sub eadem observantia regulari dictorum Canoniorum regularium pro tempore in domo huiusmodi residuerint, possint quoties opportunum fuerit, tamen iuxta eadem regularia instituta Canoniorum regularium, idoneum fratrem, etiam eiusdem Ordinis professorem, in Priorem eorum, & eiusdem domus eligere.

§. 5. Qui tamen postquam electioni de se factę prestiterit consensum, Diocesano loci vel eius Vicario in spiritualibus generali, qui erit pro tempore, per electores huiusmodi dumtaxat debeat reverenter, & humiliter presentari. Quique postquam taliter presentatus extiterit censeatur eo ipso a Sede prelati confirmatus: & ex tunc dictum Prioratum in eisdem spiritualibus, & temporalibus libere, & licite valeat gubernare.

§. 6. Qui quidem Prior semper uno anno completo intelligatur absolutus, nisi tunc per maiorem partem eorundem Fratrum domus predictę in electione dicti Prioris vocem habentium determinatum fuerit, ipsum Priorem in dicto debere Prioratus officio domus eiusdem ulterius remanere. Quodque dicta domo Prioris solatio destituta per mortem Prioris eiusdem, vel aliquo alio casu eadem vacatione contingente, quod durante vacatione huiusmodi, predictum officium per antiquiorem Fratrem dictę domus in sacerdotio constitutum exerceatur, quousque nova electio alterius Prioris iuxta prelatum modum fiat, & ad effectum debitum perducatur.

§. 7. Volentes etiam, & auctoritate prelati concedentes eisdem Priori, & Fratribus sive Canonici, conversis, & personis, quos pro tempore in domo huiusmodi residere contigerit, ut presertur, quod ipsi potiri, & gaudere possint, & debeant libere & absolute omnibus privilegiis, indulgentiis, gratiis, exemptionibus, & libertatibus eis habitenus, ac Ordini Fratrum Eremitarum, & Canonici Regularibus huiusmodi, ac Monasteriis, & locis eorum, tam per Sedem prelatam, quam per alios quoscumque concessis, & quibus ipsi Fratres Ordinis Ere-

mitarum, ac ceteri Canonici regulares, ac eorum domus, Monasteria, & loca quomodolibet potiuntur, & gaudent.

§. 8. Et insuper volumus & ordinamus, quod Ven. Frater noster Antonius Episcopus Bononiensis Camerarius, ac dilecti filii Gabriel electus Senensis Thesaurarius noster, necnon Joannes Electus Ragusin. eisdem Priori, & Fratribus sive Canonici conversis, & personis, de conventibus constitutionibus, & norma vivendi pro conservatione Prioris, & Fratrum, sive Canoniorum, conversorum & personarum predictorum provideant, & omnia alia & singula faciant, ordinent & disponant in premissis & circa ea, prout eis visum fuerit expedire.

§. 9. Decernentes ex nunc irritos & inanes omnes processus, ac excommunicationis, suspensionis, & interdictionis sententias, si quos forsan circa hæc quacumque auctoritate contigerit promulgari, & etiam ex nunc ratum & firmum motu simili habemus, quicquid per eisdem Camerarium, Thesaurarium & Electum Ragusin in premissis & circa ea dispositum fuerit seu quomodolibet ordinatum.

Nulli ergo omnino hominum liceat &c. Si quis autem &c.

Datum Luca Nonis Aprilis, Pontificatus nostri Anno Secundo.

I V.

Confirmatio Fratrum Eremitarum S. Hieronymi de Fesulis Ordini alias ab Innocentio VII. approbato alia accipiendi loca Fratresque alios admittendi facultas conceditur.

Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

Scrutatorum nonnullorum Fratrum Eremitarum, Fratrum S. Hieronymi nuncupatorum, loci eiusdem scilicet Fesulan. Ordinem, quem evidens ex eo utilitas Deo vivere volentium proveniens perhibet approbatum, ampliari, patimur, & ut ad bonam ampliationem perveniat, cum a nobis petitur, favorem Apostolicę Sedis, & gratiam impartimur.

§. 1. Dudum siquidem sel. rec. Innocentio Papę VII. predecessori nostro pro parte dilectorum filiorum Caroli quondam Antonii Comitis Montisgranelli nati Presbyteri Sarasinatensis diocesis, & nonnullorum eius sociorum exposito, quod ipsi de vita Eremitica, quam zelo pie vitę mundanis abiectionis illecebris amplexatam aliquandiu duxerant, ad frugem vitę mellioris aspirantes, in humilitatis spiritu, & paupertate, desideraverant sua aliqua regulari observantia virtutum Domino famulari, ac propterea supplicato, ut eos, qui numero duodecim vel circa fuerint, in huiusmodi laudabili proposito confovere de benignitate apostolica dignaretur.

§. 2. Idem predecessor cupiens huiusmodi

Dona facultas Priorem eligendi.

Prior electus ipso facto ab Ap. Sede confirmatus censendus.

Prior singulis annis eligendus.

Communicata eis Privilegia totius Ordinis FF. Eremitarum S. Augustini.

Dati Predecessor ad condendas Constitutiones.

Secur. ad a. v. citata.

Dat. die 6. Aprilis 1407. An. II.

Petita ab Innocentio VII. Ordinis huius confirmatio.

Concessa ab eodem Pontifice.

Literis vero super hoc ab eodem n. p. concessis super Ap. auctoritate Gregorius.

Acquisitaque usque adhuc bona conservat.

Nova petitio ab illis Gregorio facta.

Alie eis confirmate domus.

di eorum pium propositum ad laudem divini nominis adimpleri, Carolo & sociis antedictis, ut ipsi in aliquo loco eis fidelium largitione dato vel dando vitam huiusmodi sub regula secundum constitutiones S. Hieronymi ducere, & regularem professionem iuxta regulam & constitutiones huiusmodi, emittere libere, & licite valerent, auctoritate apostolica concessit.

§. 3. Ipsosque predecessore, sicut Domino placuit, super huiusmodi concessionis gratia literis non confectis subiato de medio; Nos divina favente clementia ad apicem summi Apostolatus assumpti, ne ipsi Carolus & socii huiusmodi concessionis frustrarentur effectu voluimus, & apostolica auctoritate, decrevimus, quod concessio ipsa perinde a die data ipsius concessionis valeret, & plenam obtineret roboris firmitatem, ac si super ea, eiusdem predecessoris literę sub ipsius diei datę confecta fuissent, quodque nostre literę ad probandum plene concessionem huiusmodi ubique sufficerent, nec ad id alterius probationis adminiculum requireretur.

§. 4. Et nihilominus, quod quidam locus eis post concessionem huiusmodi in Civitate Fesulana ad hoc congruus, & honestus, in quo idem Carolus, & Fratres etiam ultra numerum predictum secundum regulam, & statuta prelati, regularem professionem per huiusmodi fratres Eremitas emitti consuetam emisissent primo, & successive eis plura alia loca possessiones & bona dicta largitione donata fuerunt, nos dicta loca, possessiones & bona ubicumque confisterent, que tunc eidem Carolo & sociis largitione prelati donata fuerant, habentes pro sufficienter expressis ac donationes & professionem predictas; & etiam illorum ultra prelatum numerum professorum ratas & gratas habentes, auctoritate apostolica confirmamus: suppletentes omnes defectus, si qui forsan intervenissent quomodolibet in eisdem, prout in nostris inde confectis literis plenius continetur.

§. 5. Quare iidem Carolus & Fratres, qui in humilitatis spiritu, quantum eis permitit humana fragilitas, ambulantes, divina mansuetudine suffragante quamplurimos eligentes secum pompis mundanis abiectionis, circa divina obsequia, finire labiles dies suos dictum inveniant, nobis humiliter supplicarunt, quatenus eis & successoribus eorum, duo alia loca ultra obtenta, ac quoscumque ad eos venire, & ipsorum habitum assumere, professionemque secundum instituta prelati in eisdem locis emittere volentes recipiendi, eaque cum cæmeteriis pro se ipsis dumtaxat habere libere, & licite possint, licentiam concedere de benignitate apostolica dignemur.

§. 6. Nos qui cultum divinum nostris cupimus temporibus adaugeri, huiusmodi supplicationibus inclinati, duo alia loca ultra ea, que in presentiarum habent, cum omnibus iuribus, & pertinentiis suis, que eidem Carolo, & Fratribus alias canonice concedentur, vel eos illa alias iusto titulo contingit adipisci; Bull. Rom. Tom. III. Pars II.

Necnon, quoscumque ad ipsos venire, pompis mundanis abiectionis divina gratia suadente habitum assumere, & professionem per Fratres predictos emitti consuetam, emittere volentes, recipiendi, & admittendi in eisdem, solummodo locis, ac cæmeteria in locis ipsis pro eis dumtaxat habendi, iuribus parochialium & aliarum quarumcumque Ecclesiarum in omnibus aliis semper salvis, eisdem Carolo, & Fratribus, ac successoribus eorum in Fesulano, & aliis locis predictis, auctoritate apostolica tenore presentium facultatem & licentiam largimur.

§. 7. Non obstante tam sel. rec. Bonifacii PP VIII. predecessoris nostri prohibente, ne Fratres Ordinum Mendicantium loca de novo recipere, aut recepta mutare presument, absque dictę Sedis licentia speciali faciente plenam & expressam de prohibitione huiusmodi mentionem, quam aliis constitutionibus Apostolicis contrariis quibuscumque. Nulli ergo &c.


Datum in Castro Montisflorum Arimin. diocesis, VIII. Idus Julii, Pontificatus nostri Anno Nono.

Alios recipiendi, cæmeteriumque habendi data facultas.

Obstantium derogatio.

Dat. die 8. Julii 1415. An. IX.

ALEXANDER V. PAPA CCVI. ANNO DOM. MCCCCLX.



Alexander V. antea Petrus Philargus, Cretensis, (Bononiensem illum fuisse nonnulli alic.